



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. VI. De Epistolis facundis patrum, repositis in Bibliotheca
Hierosolymorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

gitur; cum tamen adhuc superesset prædictus ejusdem loci Episcopus *Narcissus*, sed fessus senio, pontificali ministerio sufficere non potens. Interea *Serapion* quoque, Antiochiæ Episcopus, vir magnæ eruditionis, cujus multa habentur opuscula, defungitur; cui succedit *Asclepiades*, & ipse unus ex præclaro numero Confessorum. *Antoninus* regnat VII. annis & sex mensibus.

CAP. V.

De Zephyrino, Calisto, &c. Romanis Pontificibus.

Sed & *Antoninus* Imperator diem obiit, cui succedit *Macrinus*. Quo in brevi consummato, id est, post annum; successit alius *Antoninus*. Cujus primo imperii anno *Zephyrinus*, Romanus pontifex, dum obiit, *Calistus* succedit, qui sedit annis octo; quo etiam finem faciente, præsidet *Urbanus*, qui & ipse post VIII. annos, sedem reliquit *Pontiano*. Sed & *Antonino*, quatuor annis functo imperio, succedit *Alexander*.

CAP. VI.

De Epistolis facundis patrum, repositis in Bibliotheca Hierosolymorum.

HAYMO.

Per idem tempus florent in ecclesia disertissimi viri, quorum Epistolas, quas ad se invicem dabant, tam facundas, quam fœcundas, *Alexander*, venerabilis Hierosolymorum Episcopus, in Bibliotheca Hierosolymorum, quam & ipse multo labore & sumptibus
ad

ad posterorum utilitatem construxerat, facit diligenter reponi.

H A Y M O.

Agimus gratias tantæ Patrum diligentia, quorum circa sacras scripturas tam ferventissima occupatio, & tam jugis sollicitudo fuit, ut non solum scriberent libros, vel explanarent, sed etiam scripta quorumlibet virorum illustrium divinitus inspirata, multis laboribus, multis quoque expensis, manibus notariorum sibi coacervarent, ad profectum universalis ecclesiae. Hæc ergo mercimonia preciosa, hic verus exstitit thesaurus, comparare sibi scripta majorum, & complere Bibliothecam, aggregare libros in Archivis templorum magis, quam nummos in arca. Audiant hujus temporis Ecclesiasticae personæ, & rubore confundantur, quia à vestigiis Patrum tam impudenter, & imprudenter recesserunt; quod servi facti sunt ancillarum, ambitionis, & pecuniæ: Et qui potuerunt sublimes scripturas indagare, fortassis facilius, quam majores nostri, cum illorum diligentia exemplaribus copiosius abundant; pro pudor! nunc ad infima rerum & contemptibilia, ad civiles causas & loculos convertuntur. Sed hæc hæcenus. In illis diebus *Hippolytus* Episcopus, multorum conditor opusculorum, inter cætera sua libellum de *Pascha* edidit; in quo etiam temporum Canonem & descriptionem quandam pulchra ratione depingit.

BEDA.

Hic decemnovenalem circulum Paschæ reperiens, dedit occasionem *Eusebio*; qui de eodem decemnovenali circulo tractatum composuit. *Alexander* regnat XIX. annis.

C A P. VII.

De persecutione Maximini Cæsaris adversus Christianos.
Interea *Alexandro* Imperatore defuncto, *Maximinus* Cæsar succedit. Iste primus ex militari corpore, absque decreto Senatus, Imperator efficitur. Qui, dum odio fertur adversus prædecessoris sui *Alexandri* domum, & matrem ejus *Mammæam*, pro eo maxime, quod Christiana erat; & *Origenem* presbyterum, quem Romam accitum & honorifice habitum ipsa audierat: qui tunc non solum *Alexandriæ*, sed toto orbe clarus habebatur; Hac, inquam, occasione persecutionem commovet per ecclesias, maxime adversus Doctores ecclesiarum. *Maximinus* regnat tribus annis.

C A P. IIX.

De morte Maximini Cæsaris & successione Gordiani.
Sed per Dei providentiam in brevi consummatus, simul finem vitæ & persecutionis facit. Post quem imperat *Gordianus*.

C A P. IX.

De Pontiano & Fabiano Romanis Pontificibus.
Pontiano vero Romano Pontifice tunc finem faciente, succedit *Antherus*. Qui cum non amplius quam mense